



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad  
Aduentum

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX**

Dominica Tertia Post Pentecosten.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

Tria peccati genera.

cupiditates, quæ ad luxuriam referri videntur, non interficiunt. Secundo, tria esse peccatorum genera; quædam ex mera malitia & iniustitia committuntur, quæ proinde grauiora sunt & enormia, qualia sunt homicidia, latrocinia, incestus, sacrilegia, atque illa per viros designantur: alia vero infirmitati adscribenda sunt, vt delectationes sensus, desideria inordinata, passiones intrinsecæ, atque hæc feminina peccata dicuntur: tertij generis sunt, quæ ad ignorantiam spectant, atque horum typus sunt pueri. Multi quidem exterius virtute præditi videtur, quod viros, id est, grauiora peccata delectant & profligent, sed feminas simul & pueros, peccata infirmitatis & ignorantia, viuere sciunt, à proprijs enim passionibus superari se patiuntur. Igitur quemadmodum ij, qui Madianitas bello superauerat & interfecerant, non laudem prius meruere, quam Madianitides & earum pueros deleuissent: ita magnus ille Deus eximiam æternæ gloriæ mercedem dare non solet illis, qui maiora crimina, id est, malitiæ pessumdant, nisi & peccata infirmitatis quorū figura mulieres; & ignorantia quæ pueri designant, eadem opera iugulent.

Peroratio.

Eia igitur, Auditores, ne diutius his immorer, ambitionem deponite, avaritiam exuite, libidinem & carnem pessumdare, atque ad æternæ beatitudinis cœnam properate. Homo qui ipsam præparauit, Christus est; vos vero inuitati; equidem seruus sum ad vos inuitandos destinatus; festinate igitur adesse; excusationes nolite prætere, ne pater ille familias indignatus, nuncios, id est, concionatores & Euangelij sui præcones, ad vltimos mundi cardines, & Antipodas vsq; (sunt hi namque *exitus viarum & sepe*) destinet, qui cæcos, & claudos, & debiles, aliosque innumeros, id est, Sineses, Lapones, Brasilijs, Indos, atque alias gentes & numero infinitas, & feritate barbaras ad cœlestem illam cœnam cogant.

At quoniam tu clementissime Deus ad maiestatis tuæ gloriā, & amorem quō homines prosequeris demonstrandum, magnam illam æternæ beatitudinis cœnam, in qua sempiterna voluptate animas reficeret, adornaris; & epulum illud solenne, quod cœ-

næ nomine ideo vocatum est, quod vltima sit refectio, in felicitatem & gaudium nostrū, ad vitæ, velur diei, terminum referuatæ præparatis, epulum inquam ad quod jam inde à pueritiæ aurora, ad senectutis vespem, tot inuitationum generibus, afflictionibus, miraculis, alijsque infinitis nos modis, inuitare non desinis: fac obsecro, vt inuitationes hæc non sint frustra, nec easdem surdis auribus excipiamus, neue imitemur stolidos illos & temerarios, quos Euangelium depingit: ne inquam ambitio, auri sitis, desideriaque carnalia, tam præclaram nobis è manibus occasionem fortemque excutiant: ne ob villā magna illa ciuitate cœlesti inquam Ierusalem frustremur; ne propter boum juga quinque, & arationem illam angustam, patentes illos cœli agros, quorum fines metiri, cuiusq; termini arari nequeunt; denique ne ob numium erga vnicam mulierem affectum, amorem ac beneuolentiam filiæ illius cœlestis, beatitudinis inquam sempiternæ, ad quam nos Pater simul ac Filius, cum Spiritu Sancto pariter deducant, amittamus.

### DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. *Detractores seras esse pessimas.*
- II. *Quod Saluator & Calumniator sint opposita.*
- III. *Fugiendo: esse detractores inoppositis.*
- IV. *Quod benignitas aduersus maledicos sit opponenda.*
- V. *Cur benignissimus Iesus perditos quæsum veniat.*

*Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum. Luc. 15.*

FIGVRA.

**L**egimus in Numeris, Mariam & Aarōnem, detractioibus & occultæ maledicentiæ assuetos, simul in fratrem Moysen

sem insurrexisset, eique vitio vertisset, quod Æthiopsiam matrimonio sibi iunxisset, quasi in maximum familiæ dedecus ignominiamque, disparitas illa coloris à Mose in vxore quaerenda neglecta, redundatura videretur. Hodierno vero in Euangelio murmurantes viduas Scribas & Phariseos, aduersus seruatorem Iesum, quod Publicanos & peccatores in familiaritatem societatemque admitteret, eorumque consortio ceteris neglectis delectaretur, quasi Messia dignitati huiusmodi colloquia contuberniaque forent indigna. Ceterum ut hisce de rebus, ad maiorem Dei gloriam, & animarum salutem loqui valeamus, spiritus Paracleti nobis auxilio opus est, ipsum igitur inuocemus, idque precibus mediatrix nostræ gloriose Virginis Deiparæ; in quam rem salutationem et Angelicam offeramus.

## AVE MARIA.

I. Xenocrates inuitatus olim ad cõuiuium, referente Laertio, cur ceteris maledicentibus, conuiciantibus, murmurantibusque; obmutesceret, interrogatus, ait: *quia fuisse locum penituit saepe, tacuisse nunquam*. Designare volebat, murmurantem detractoremque esse fugiendam, & satius multo esse tacere, quam detrahere, linguamque, cum alij in conuiuijs vel alibi murmurant & maledicunt, cohibendam.

Idem quoque fuit sapientis ante Xenocratem consilium, ait enim in Prouerbis: *Noli esse in cõuiuijs potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt*. Quæ verba Gregorius exponens in Moralibus scribit: *Carnes ad vescendum conferre, est in colloquio derogationis vicissim in proximorum vitia dicere*. Adeo ut iuxta vulgatam S. Scripturæ Phrasim, & Magni Gregorij expositionem, carnes comedere, tropologicè sit, aliorum vitia carpere, deque iisdem detrahere. Ideoque S. Bonauentura murmurantes & maledicos canibus lanionum similes asserbat, qui quod crudas saepe carnes vorant, atque ossa sanguinolenta rodant, dentes & fauces sanguine cruentatas habent. Ad quorum similitudinem maledici, quod pro-

Tom. 2. Pars Æstima.

ximo detrahant, aliorum vitam moresque carpant, famam ledant ac dilacerent, linguam, os, & dentes sanguine oppletos & fædatos gerunt.

Hinc quoque in veteri lege aues prædæ affuerat & carniuoræ ut immunda reiciantur, de quarum numero erant, accipiter, teri lege ut haliæti, vultures, milui, aquilæ, alixque; quæ immunda & à mensis & sacrificijs proferibebantur: le- censebau- gis porro verba sunt hæc, *Hæc sunt quæ de a- uibus comedere non debetis, & vitanda vo- bis sunt, Aquilam & griphem, & balyatum, & miluum & vulturem iuxta genus suum*. Quo Spiritus sanctus designatum voluit, hominẽ qui alium viuum lacerat, mordet ac deuorat, illius honorem & famam destruit, coram Deo ex mente Scripturæ immundum cenferi.

Angelicus Doctor Thomas, hocce peccatum describens, eiusque essentialẽ de- finitionem indagans ait: *Detractio est denigratio aliene fame per occulta verba*. illiusque enormitatem exaggerans Apostolus, inter cetera peccata Deo inuisa, & exosa, maledicentiam detractoremque enumerat, *Detractores Deo odibi es*. & ante eum Salomon in Prouerbiorum libro memoria prodiderat, septem esse peccata, quæ Varimiano Deus odio prosequeretur, quæque diuinæ Maiesati, ut quæ plurimum displicerent, ac seipsum cane peius & angue illum detestari, detractores nimirum & maledicos. Verba illius audiamus: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, ocu- lo: sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordiam*, id est, detractorem; de alijs siquidem murmurans, illiusque vitam & mores carpens & sugillans, mendaciaque congerens, discordias seminat, contentiones caufatur, lites & iurgia suscitatur, zizaniorum iliadem in familijs & omnibus congregationibus pro- gignit.

Idem Apostolus asserit tanto Deum odio iniri peccatum hoc prosequi, ut inter illos quos te detractio in æternum velut facie sua & visione indi- res odit.

M gnos

Laertius lib de vit. Phil.

Prou. 23.

Lib. 14.

In dicta sa- lucis, c. 19.

2. 2. qu. 75. a. 4.

Rom. 1.

Prou. 6.

1. Cor. 6.

gnos reprobavit, primo loco maledicos recenseat, Nec maledici, nec rapaces regnum Dei possidebunt. quo etiam facit, quod consulit Ecclesiastes ad vitam bene beateque instituendam, Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tuane capiaris & confundaris; apud homines scilicet qui vt calumniatorem & peruersum te habebunt; & apud Deū, cuius regno te idcirco priuatum videbis.

In serm.

Bernardus sanctitate vita, & scientia magnus, hoc de peccato sermonem instituens, adeo detestandum pronuntiat, vt serpente ipsum exitiosius & detestabilius affirmet, maledicumque viperam appellare non dubitet. Numquid vipera est lingua detractoris ferocissima Eiusdem quoque opinionis est sanctus Hieronymus in Ecclesiasten, Serpens & detractor aequales sunt; quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens peccatori, vi virus in fratrem effundit.

Detractor serpenti collatus.

In serm.

Plura quoque & deteriora sanctus Bernardus: & quid? detractorem dæmoniacum esse credit, Detractor & libens inquit, auditor uterque diabolum portat in lingua. Hæc porro omnia sibi sapiens ob oculos ponens, cuius nostrum consulit, peccatum hoc velut pestem exitiosissimam fugere, Remoue a te os prauum, & detrahentia labia sint procul a te.

Prov. 4.

Ceterum os ille prauum habet, qui murmurat, maledicit, aliorum nomen denigrat, inque actiones & vitæ rationes curiose nimis inquirit. Vitij huius enormitatem turpitudinemque pluribus sum verbis profecturus, quod Euangelium hodiernum materiam eandem includat: in quo Scribas murmurantes & Phariseos maledicentes & inuocam Iesu Christi vitam carpentes intueor. Audiamus Lucam Euangelistam: Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum. Vt porro vestro palato satisfaciam, primo de detractione hac Pharisæica loquar, ac deinde humilem Christi responsionem subnectam: aures modo præbete attentiores, & vestro vt satisfaciam desiderio operam dabo.

Euangelij summa.

In primis igitur Euangelium hodiernum edoces, Christum Redemptorem, qui peccatores seruaturus aduenerat, vt ait Aposto-

lus, Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere; atque ideo eorum familiaritates & consortia sectabarur, Phariseorum furore & inuidia rabientium, liuore tabescitium, odium & indignationem incurisic: culpabant namque; Melliam greges publicanorum secum vt plurimum trahere, publicanorum inquam, qui ex interpretatione glossæ, vectigalia & portoria in populi Romani commodum exigebant, ac propterea omnibus exosi erant & inuisi.

Et murmurabant Pharisei & Scribae, dicentes. Quam fragili fundamento nititur hæc calumnia; quod Creator creaturas adeat, Princeps subditos visitet, opulentus pauperes quærat, redemptor captiuos inuisit, Mellias peccatores foueat, medicus denique egrotos complectatur. Quis credidisset inquam fore, homines hoc malam in partem vt interpretarentur: Quamobrem seite mihi respondiisse visus est Aristippus interroganti mirantique, cur diuinitum magnatumque palatia a Philosophis semper obfiderentur, Et medici, inquit, languentium ianuas frequentant.

II.

Idem omnino, mea quidem sententia, maledicis hæc stomachantibusque Pharisæis, quod Dominus publicanorum ædes mercetricumque fornices obambulet, respondeat: ipse enim verus Esculapius & medicus cum sit, non nisi inter agrotos versari desiderat, cum decumbentibus & male affectis agere illi volupe est: de se quippe confiteretur. Non est opus valentibus medicis, sed male habentibus.

Laet. li. 1. de vit. i. hilos.

Luc. 5. Marc. 2.

Audite rem prope similem. Phocion summus in iuuentute orator, & tandem Reipublicæ Atheniensis præfectus, amicorum reprehensioni etiam patuit, vitioque ei verisum est, quod improbi cuiusdam patrociniū apud iudices suscepisset, eumque eloquentia in libertatem vindicasset: at eadem qua defenderat dexteritate, etiam calumniantibus respondit, At nemo bonus huiusmodi, inquit, indiget patrociniū. Id ipsum iure meritoque Redemptor noster inuidis hæc Pharisæis respondeat, Bonos & integræ vitæ, patrociniū opus non habere, at improbos & sceleratos. Testatus hoc erat & alibi,

Non

Phocionis apophthegma.

*Matt. 9.* Non veni vocare iustos, sed peccatores. Ideo calumniari oportuit?

*Pythagoræ symbolum.* Inter Pythagoræ symbola monitaque Ethica non postremum, mea sententia, locum occupat illud: *Contra solem ne loquaris*, id est, ne detrahas ei, in quo quod culperis nihil inuenies, ne vitam examines sole emaculatiorem, arque hunc in modum

*Lib. 4. epist.* hoc explicat Paulus Scaliger. At hoc in symbolum peccasse constat Phariseos & Scribas, ac præter rationem & immerito in sole maculam quæsiuisse, aduersus faciem mundi loquutus esse, & calumnijs maledicentiaque illius splendorem, lumen & iubar extinguere contendisse. Quam illa vestra stultitia est, ne dicam vesania, nodum quætere in scirpo, & irreprehensibilem reprehendere?

*Sacerdotes nullos offendant, ac omnes defendant.*

*Et murmurabant.* O pestis detestanda! ô scelesti Pharisei! Qui aliorum declinabant consortia abstracti quodammodo à vulgari viuendi ratione, & vitam conlectabatur austeritates spirantem, quosque proinde peccantium fouere partes par erat, & eorum patrocinium suscipere, hodie aduersus eos conflurgunt, bellum mouent, & maledicunt eisdem adiuuare sagenti. Non est, mihi credite, sacerdotum obesse alijs, ac potius omnibus, & præsertim peccatoribus, prodesse, eorumque causam defendere. Turris David, quam vt bene munitam & aduersus hostium impetum probe armatam describit Scriptura, mille habuisse clypeos, clypeos, inquam, & non alia arma, in circuitu è summitatibus pendentes describitur: *Mille clypei pendebant ex ea.* Clypei arma sunt defensiva, non vero offensiva, simulque denotant Ecclesiasticos & Sacerdotes ad sacerdotium non esse vocatos, vt quem offendant, sed omnes defendant ac tuentur.

*Cur. 4.*

*Cur turris David non nisi clypeis munita.*

Huc facit, quod Athenis olim accidisse memorant historiæ. Omnes Athenis ordines, omnes iudices ac magistratus Alcibiadem morti adiudicabant, cogeantur in illum concilia: conspirationes in caput illius frequentes erant, bona fisco addicebantur, magnorum criminum actiones ei intendebantur, muneribus ciuilibus priuabatur,

domus, res, fortuna eius in discrimen vocabantur: & quo aliquem facto colorem adderent, omnes quotquot in vrbe reperire erat sacerdotum tam masculini quam feminini sexus, ad illud conuocantur concilium, cum que omnium suffragia postularentur, vna sacerdotum ait: *Ad nos supplicatio pertinet, non execratio*; nostrum est deprecari, neminem offendere; nos Deos delinquentibus propitios reddimus precando, nullum vero morti adiudicamus Pharisei nostri in templis educati & versati non sunt huiusmodi, sed inuidia pleni & prauis affectibus intransfertum acti, & non nisi sanguinem & mortem miserorum peccatorum spirantes, clamant, murmurant, & lædunt eum qui peccatoribus vitam cupit elargiri.

*Et murmurabant.* Ingens profecto & detestandum flagitium est murmuratio: quæ designatam puto in ranis illis, quæ Ægyptios *Exod. 8.* mirum in modum diuexarunt & affligerunt. Nam vt rana toto die cæno & limo delitescens, tacet, & vespera ingruente coaxando cuius caput obrudunt; ita murmuratores (quibus nulla hodie mundo accideret pestis potest deterior) non nisi fossas & perfimiles. putrescentes vitiorum paludes incolentes, *Itē Gallo.* interea dum sol diem illustrat, & conscius quis qui coarquat, adest, magis muti sunt quam piscis, sed nocte instante, id est, absentibus omnibus circumundique coaxant, & garrulitate sua maledica, aliorum famam denigando, vitamque carpando optimo cuique molesti sunt & graues; *Vt sagittæ in obscuris relictos corde.*

Gallus omnium animalium domesticorum caput, gallinarum ductor, in hoc reprehendendus venit, quod, quamuis domus esca & grano abundet; semper tamen apud alienos simeta etertat, sordes excutiat, vermiculos sibi queritans, qui si quam forte gemmam reperiat, erucam aut muscam ei præponet. Imaginem hic videtis detractoris, qui tamen domus alterius referta sit virtutibus, bonis abundet, meritis scaeat, quæ ei satisfaciant ne vel mala de eodem cogitet aut loquatur, angulos tamen actionum eius indagare & euoluere, sordesque & imperfectiones vitæ illius mouere

mauit; ac si quam forte virtutis in eo margaritam reperiat, vermicula peccati eandem postponit: honesta laudeque digna contemnit, obscura vero & occulta probra familia cuiusdam recenset: & in apertum profert.

Item scarabæo.

Scarabæus insectum est vile, immundum, ipsaque immundities, quod non nisi fimo & sordibus delectatur, vivit, pascitur, omneque odores suaues ac iucundos detestatur; quam primum enim ut violas ac rosas odoratur, quasi præsentissimo gustato toxico emoritur. Hunc scarabæum refert & detractor: immundum profecto animal ac lutulentum quod fimo & cæno pascitur, & peccatorum sordibus, quod non nisi de vitijs loquitur, aliena vitia pòderat, excutit, examinat, quodque deterius est iucundam virtutum proximi fragrantiam non fert, eiusque bonæ famæ odorem exosum habet, idcirco ubi odorare eminus honestæ vitæ & conversationis præconium cœpit, furit, tabescit, ac tãdem Zoili instar rumpitur invidia: quodque in primis demiror ac me pessime habet, minimum famæ deterioris rumusculum in immensum auget, & leue quoddam ac tenuè delictum lætæ crimen maiestatis ac perduellionis facit, quodque vno verbo dici poterat, mille ac mille verbis amplificat.

Echo Olympiæ septemvolum.

Referunt historici circa Olympum montem in Græcia, a quo certamina Olympica, haud procul inde celebrari solita, nomen mutuata sunt, locum fuisse tali arte & industria constructum, ut verbum voce elatiori prolaturum, septies, repercusso sono repeteret, qui propterea *ἑπτάφωνος* fuit appellatus. Quis neget detractionem huic vocis septuplici redditum esse persimilem? cum enim delicta & nãuos alienos refert, vnius loco septem memorat, atque, ut in parœmia est, ex musca facit elephantem. Ipsi denique maledici, Calepini sunt *ἑπτάφωνοι*, atque hoc è rancore quodam intrinseco, & corde pravo proficiscitur.

Conceptus insignis à medicis mutuatus.

Medicorum Aphorismus est sententia, oris fœtorem & infectionem è stomachi vitio & hepatis indispositione procedere: stomacho siquidem & hepate vitiatò, vapores terri ascendunt, qui fœtidam illam oris ac palati mephiritim causantur. Eadem pene Theo-

logorum de conscientia definitio est: a iunt quippe nullam aliam corrupti oris & maledicentiae in proximum in calumniatoribus ac detractoribus statui causam posse, quam quod intestina & intrinseca corrupta sint, partes nobiles, ac præsertim eorum malitia infecta in & odio imbutum. Suffragatur hic mihi Evangelista: *Ex a' undantia cordis os* Matt. 12. loquitur: ac multo etiam apertius Psaltes: *16. Psal. 5. pulchrum patens est, utiur coram;* & cur oblectro? *quia lingua sua dolosa, ebant;* quibus mille nectunt dolos & astus, seccentas coquunt versutias & calumnias, quæ contagio quodam lepra ac peste teterrima tetiora sunt.

In veteri lege iubebantur leprosi, quoties in publicum prodibant, os semper velte obtegere, ne tetio suo & contagiolo halitu obuios quosque inficerent, & leproso redderent; Ecce legis decretum: *Habebit vesti in ta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Murrator & detractor spirituali lepra vere dici potest infectus, cor, os, linguam purulentam habet, verborum illius affatus & halitus contagiosus est, quo tam illos quorum famam lacerat, quam adit ires & audientes, hinc ora illi velati præcipit lex; quod etiam sibi vltro fieri vates Regius postulat: *Pone custodiam ori meo, & non delinquam in lingua mea.* Quantum vero hoc discrepat à Phariseis nostris, de quibus in Evangelio legimus: *Et murmurabant.*

David porro rex tantopere tetrum hunc odorem detestabatur, ut instat pestis eum execraretur, audiamus, quid de se in Psalmis dicat: *De rabentem secreta pro imo suo hunc persequebar;* & vere prosequabatur; nam alio in loco mille ius ditas imprecatur: *Erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.* Cur tantopere inueheris in hocce genus hominum Vates: *Quia loquuntur aduersus iustum iniquitates in superbia sua, & in abusione.*

Eodem telo eosdem ferit & Sapiens; tria Eccl. 6. siquidem in orbe esse tradit, quæ nunquam non metuat, ac quartum quod cum tremore perhorrescat: *A tribus, inquit, timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delenturam*

III.

Leuproso detractores cõferuntur.

Psal. 140.

Psal. 100.

Psal. 10.

Eccl. 6.

Detra-  
ctio  
ante pe-

ram civitatis & collectio: em-puli; & calumni-  
am mendacem. Tria hæc, peste esse ait dete-  
riora, at per quartam detractionem designat,  
quæ calumnijs, mendacijs, & falsitatibus sti-  
patur ac cingitur, ac morte longe grauior est;  
hæc enim non nisi corpora extinguunt, illa ve-  
ro honorem, virtutes, & ælimationem pro-  
ximi.

Leu. 19.

In Leuitico præcipitur, ne quis furdo ma-  
ledicat, *Non maledices furdo.* Sed mystice de-  
signatum puto, non esse detrahendum ab-  
sentibus: furdo quippe maledicit, qui absen-  
tem rodit. atque ita eadem intelligit Grego-  
rius, *Surdo*, inquit, *maledicere, est absenti ac non*  
*audienti derogare* Surdus itaque & absens eiuf-  
dem fortis, quiq; furdo detrahit, diuino præ-  
cepto aduertatur.

Detra-  
ctio  
suboni-  
bus & no-  
ctis simi-  
lis.

Plutarchus in Moralibus eodem collimās  
murmuratores & maledicos bubonibus no-  
ctis, & vlulis alijsque auibus noctu volare  
solitis comparat. Nam, *quemadmodum*, in-  
quit, *noctua auis inauspicata sunt, quæ nocte tan-*  
*tum volant & gemunt*: sic detractor qui noctu  
tantum, id est, in absentia loquitur. Vere igitur  
noctæ sunt murmuratores, & ferales, & omi-  
nolæ.

Leu. 11.

Coruus etiam, quoniam de auibus men-  
tio incidit, in Leuit. inauspicatus & inauspicatus  
conferitur. *Hæc sunt quæ de auibus comedere*  
*non debentur*, & vitanda sunt vobis, *aquilam &*  
*grypem, & haliatum, & miluum, ac vulturem*  
*iuxta genus suum, & omne coruini generis in simi-*  
*litudinem suam.* Verum hic emblema detrac-  
toris, qui vere dici potest coruus, sed auis  
inauspicata, quæ cor & animam nigricantem  
habet, & a Deo repudiata est coruo, quem  
Noe tempore diluuij ex arca speculatum di-  
misit, nec denuo reuersus est, in cadaueribus  
forsitan aquis innatantibus deuorandis occu-  
patus; perhumilis, maledicus enim semel fori-  
bus & cardinibus rationis egressus, interea  
dum passionum & rancoris diluuium læuit,  
vix vnquam deinde ad salutis arcem redire so-  
let, cadaueribus ossibusque in perfectionem  
vitæ proximi innatantibus insidens. Sed pro-  
ducamus & alia.

Apoc. 9.

Vidisse se in Apocalypsi locustas testatur  
Iohannes, & locustas quidæ prodigiosas, leo-  
tis Apoc- ninis dentibus, & facie humana. *Et similitu-*

dinis locustarum, similes equis paratis in prælium, *lypseos.*  
& super capita earum cornua similes auro: & fa-  
cies earum tanquam facies hominum, & habebant  
capillos sicut capillos mulierum, & dentes ea-  
rum sicut dentes leonum erant. Equidem ex  
mente doctissimorum loci huius interpre-  
tum, per monstra hæc locustarum, detracto-  
res intelligo, qui locustarum instar, quidquid  
in anima virtutum viret ac viget, rodunt ac  
deuorant; dentes habent leoninos, quod fe-  
rarum instar; non nisi sanguine & hominum  
carne pascantur; vnde Plamographus: *Ap- Psal. 26.*  
*propinquat super me nocentes, ut edant carnes meas.*  
Atque hoc & non aliud designare voluisse  
crediderim Apostolum, dum Galatis scribit:  
*Quod si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne*  
*ab invicem consumamini* Ipse quoque Prophe-  
ta Iob de aduersarijs suis, vitamque & actio-  
nes carpentibus, conqueritur gemens & v-  
lulans: *Quare persequimini sicut me Deus, & car-*  
*nibus meis saturamini.* In quam sententiam ita  
magnus commentatus est Gregorius: *Scien-*  
*dum est, quia hi etiam qui aliena vita detractione*  
*pascuntur, alienis proculdubio carnibus satu-*  
*rantur.*

Quarta, quam Daniel Propheta bestiam *Dan. 7.*  
vidit, terribilis fuit & videntibus metum ex-  
cutiens; habebat namque dentes ferreos &  
vastos, quibus obuia quæque lamabatur de-  
struebat, reliquaque pedibus comminue-  
bat, decem vero capite cornua præferbat;  
Et ecce bestia quarta mirabilis atque terribilis,  
& fortis nimis: dentes ferreos habebat, *ma nos*  
*comedens, atque comminens, & reit uia pedibus*  
*suis concutians: dissimilis autem erat cæteris be-*  
*stis, quas videram a se eam, & habebat cornua*  
*decem.* Sensu literali bestia hæc imperium  
designabat Romanorum, at glossa mystice  
& moraliter exponens, detractionem hic de-  
notatam existimat, qua nullum monstrum  
haberi potest deformius, quæque dentes ha-  
bent prominentes & ipsos æreos, quod os-  
sium tenus & medullitus omnia deuoret,  
homines lædat, famam & nomen profcin-  
dat, ac reliqua meritorum illorum, pedibus  
contemptim proterat: decem adhuc corni-  
bus in capite communita est, quod mille ar-  
tibus ac rebus aliorum vitam actionesque  
suggillet: nullam denique cum alijs bestijs  
simili-

similitudinem habet, quod nullum sit cum detractiois malitia peccatum comparandum, atque, vt bene Glossator obiter notauit, tres alias bestias nomine quamque suo Propheta nominauit, leonem, vrsum & leopardum, quartam vero innominem produxit, quod detractiois malitia infinita sit, multisque limitibus circumscripta, nec vnico nomine efferenda. Hinc Psalmista: *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabit dolos.*

Psal. 49.

Cap. 3.

DetraCTOR diabolus est carne circumdatus. *Li. 5. hist. nat.*

DetraCTOR denique adeo horribilis & execranda est, vt diabolus nomine merito dicitur, vt diabolus & maledicus; & sane in Epistola 2. ad Timoth. 2. Latine legitur: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes*, Græcus textus præfert *μη ἀποβολαίς*, id est, non diabolicas; adeo vt iuxta scripturam hanc diabolus sit detractor, & vice versa detractor diabolus, & detractio crimen diabolicum ac detestandum. De quo Psalmographus agens ait: *Auerrunt linguas suas sicut serpentes*; quo traheamus, quod de serpentibus scribit Plinius, habere scilicet linguam tenuissimam, trifulcam & longissimam ac tetri odoris; quæ omnia in detractore & calumniatore reperire est: habet hic namque linguam trifulcam, quod & sibi & alijs quibus detrahit, & audientibus & adstantibus quoque noceat; & quidem longissimam, quod ad viuos & mortuos extendatur, hinc etiam in sacris literis sagittis eminus vulnerare solitis comparatur: *filij hominum dentes eorum arma & sagitta.* Nigricantem deniq; & foetidissimam, quod non nisi verba malitiæ ex odio, rancore, liuoreque perfecta proferat. Sed pergamus vterius.

Psal. 56.

Deut. 23.

DetraCTOR cani similis.

Canis quoque in veteri Lege vt immunus à sacrificio reiciebatur: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod uenerint: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Quid? itane tibi Domine displicet canis, quo nullum inter animalia homini magis fidum, nullum parentius, luporum hostis, & villarum tutela ac præsidium? Hæ quidem fateor, præclare sunt dotes, sed quia perpetuo prætereuntes & intrantes allatrat, & ignotos petit dentibus, ideo verum detra-

hensis hieroglyphicum est, qui proximum semper allatrat, ac dentibus perpetuo vitam illius, famam & honorem impetit ac mordet; qui proinde immundus est & abominabilis. Quinos igitur dentes queramus, non caninos.

Ideo forsitan, dentes Ecclesiæ, ouibus al-  
IV.  
bentibus à Salomone conferuntur: *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Documento hoc sit nobis, dentes Christianorum, qui genuini Ecclesiæ filij, non debent esse canibus similes, qui mordent & lacerant, sed ouibus mansuetis ac benignis; oues igitur sint oportet non molossi, & dentes habeant nitidos ac mundatos. Os siquidem lauare necesse est simul & dentes, omnemque immunditiam ac fordes detractiois & maledicentia eluere.

Gant. 1.  
Christiani  
dentes ha-  
beant ouiu.

Eadem quoque de causa, eodemq; Cantorum loco sacra ac diuina Iesu Christi labia, lilia myrrham redolentia emittere scribuntur: *Labia tua lilia, distillantia myrrham primam.* Mysterijs quidem redundant hæc, ac sensus obuius & apertus est, Christianorum labia & os, labijs sponsi esse debere quam sinillima, instar lillorum candida; & instar myrrhæ redolentia, id est, iucundos mortificationis odores exhalantia, & omnem inuidiæ, virulentia, detractiois, calumnieq; malevolentiam ac mephitim exola.

Labia quo-  
que candi-  
da lillorum  
instar.

Huc forsitan respexit Deus, cum inter cætera templi atque tabernaculi ornamenta & instrumenta, aurea quoq; esse voluit emunctoria, non vero ferrea aut ærea: *Emunctoria, Exod. 25. & ubi quæ emuncta sunt extinguuntur, sicut de auro purissimo.* Quemadmodum in templo Salomonico, ita & in Ecclesia Christi Iesu, emunctoria radient oportet auro charitatis & quidem purissimo. Id est, quando de proximo sermo incidit, honore is & charitate conditur ac deauretur; non vero fordeat inuidia, rancore, hypocrisis, vt oratio illa Scribarum & Phariseorum, qui emunctoria ferrea sunt, & *murmurabant.*

Tradit Plinius Bonasum, cū sciat, incurua  
Libr. 10. nat.  
& in ceruicem prominentia se habere cor-  
hif. 6. 79.  
nua, adeo vt neminem ipsidem petere queat,  
& à venatoribus se premi sentit, tam tetrum,  
pestilentem, calidumque odorem emittere,

vt vel solo tactu venatores adurat. Equidem, vt proposito naturam hanc adaptē meo, crediderim detractorem hic scire designari; hic enim cum saepe armis destituatur quibus nocet, & prouidentia diuina ita disponente inferre proximo damnum nequeat, extrema quadam malitia falsos tumores spargit, & fugientis instar, plurimas emittit & ejaculatur calumnias, quæ flamma grauius proximi famam & nomen adurant, eiusq; honorem obsecrunt.

*Id. Ca. ar. ca. p. lib. .del. h. sup. pref.*  
Ferunt piscem, quem Hispani pastinacam vocant, & raiæ quoddam genus est, tam noxium virus è mari, roris instar eiaculati in eos; qui in littore obambulant, vt quamprimum intoxicatos interficiat, atq; hoc veneno necatum à Telegono ferunt Vlysem, quod eum Penelope mater edocuerat, virus quippe hoc adeo violentum & virulentum est, vt Indicæ arbori cuiuspiam appositum, eandem, viridem licet & vernantem, enecat & mori cogat. Pesci huic maledicum esse dixero perhulilem, & linguam calumniatricem longe deteriorem, & imprimis, quæ clam & velut sub aquis maledicentiæ virus eicit in proximos; ipsa quippe inficit illos, qui per virtutis semitam ambulant, & arbores meritis & honoribus exspatiantes luxuriantesque cogit arefcere & stirpibus eradicat. Exclamo igitur, ô virus pestilens & mortiferum!

*Luc. 15.*  
*Luc. 11.*  
*Et murmurabant.* Video in Euangelio primogenitum maledicentem patri & indignatam, quod filio deo cōtore in gratiam admisso solemne epulum instrueret; non aliter etiam Pharisæi primogeniti quodammodo familiæ Dei, aduersus patrem Iesum Christum insurgunt, & canino dente proscindunt, quod peccatoribus se benignum & familiaritatem ostendat, in gratiam admitat, & præliuore aiunt: *Quoniam hic peccatores recipit.* Murmurauit quoque aduersus fratrem Mosē Maria alioquin cordata & honesta, quod Æthiopiissam vxorem matrimonio sibi copulasset: *Locutaq; est Maria & Aaron contra Mosē propter vxorem eius Æthiopiissam.* Refert Glossa ordinaria è Iosepho, mulierem hanc Regis Æthiopiæ filiam fuisse; cum enim Æ-

thiopes aduersus Ægyptios cornua erexissent, jugum excussissent, Moses eodem exercitu ad seditiones componendas morusq; sedandos fuit destinatus: quod vbi cum laude peractum esset, Æthiopiæ regis filiam in vxorē assumpsit. At Augustinus, verisimilius credit, magisque huc propendet, Æthiopiissam hanc fuisse filiam Ietro, qui è Madianitis in lib. paralip. Iosaphato rege bellum ijs mouente Æthiopes vocitatis, originem ducebat. Sephoram nomine. Quidquid sit de historia, dico synagogam similem esse Mariæ huic garrulæ & maledicæ quæ hodie aduersus fratrem suū Iesum Christum, quod peccatrices animas, nigredine & fuligine vitiorum deformes admittat, & sibi veluti copulet, murmurat. *Et murmurabant, quia hic peccatores recipit: ô malitiam Pharisæorum detestandam & Iesu misericordiam & benignitatem deprædicandam!*

Et profecto infinitæ cuiusdam misericordiæ indicium est in Iesu Christo, peccatores sibi benigne adiungere, eorumque consortia ambire. Arca illa testamenti, in qua Deus veluti sub vmbra quadam commorabatur, tantæ maiestatis erat; vt soli Pontifici eam videre & accedere liceret, idq; semel in anno, adeo vt cum eadem arca Iordanem cū vniuersa populi multitudine transfiret, per castra tubarum clangore edictum sit: *Sit inter vos & arcam spatiam cubitorum duum militum: vt procul magis videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam, & caute ne appropinquetis ad Arcam.* Veratamen Testamenti noui Arca Christus, omnes accedit, omnibus se adiungit, quod profecto admiratione dignum, non vero calumnia & virulentia Pharisæica.

Quinquaginta hominum millia de Bethsames cum subita morte, quod ad Arcam propius accessissent, percussa essent; omnes sibi metuentes, & repentina illa plaga percussi, dicere cœpere. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? Desine metueret stulte Israel, non est quod vobis & capiti vestro timeatis, idem ecce Deus, sed carne circumdatus, omnes admittit, nec ipsos peccatores & scelestos repudiat.* Hinc syna-

Cuius fuerit Moses. vxor.

Misericordiæ Dei in peccatores accedere.

10. 3.

1. Reg. 5.

synagoga demirans ait, *Quia hic peccatores recipit.*

Exod. 18.

Deus cum in montem Sinai veller descendere, præmonuit populum, ne quis montem propius accederet, nisi vitæ adire periculum vellet; verba edicti sunt hæc; *Cauete ne ascendatis montem, ne tangatis fines illius, Omnis qui tetigerit montem, morie moriatur.* At hic penitus contrarium cernere est: idem siquidem Deus homo factus, & cælo delapsus, vt legē Euangelicam vbiuis terrarum promulgaret, omnes ad se vult accedere, cunctos inuitat,

Matth. 11.

*Venite ad me omnes, qui laboratis:* imo nec bestias, id est, peccatores, reijcit, *Quia hic peccatores recipit.*

Esth. 4.

Nullus quoque atrium Assueri regis adire poterat, nisi vocatus; nullusq; maiestatem illius poterat nisi vita periclitare, intueri. Nulli item fas erat cubiculum Holofernis Principis Assyriorum intrare, imo ne ianuam pulsare. At non ea superbia & arrogantia est Iesu Christi Regum Regis; vt qui omnibus se cōmunicet, omnes admittat, imo & peccatores facilem aditum & mollia fandi tempora reperit, *Quia hic peccatores recipit.*

Dan. 2.

Babyloniorum Magi olim coram rege de Dijs supremaq; maiestate sermonem instituentes, inter cetera tandem dixere, at non satis vere, maiestatem deorum nullum cum hominibus habere commercium; *Exo prius diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Sed scopo illi nimium quantum aberrabant, nesciebant enim, Iesum Christum verum Deum, verum quoq; hominem, cælo aliquando descensurum vt cum hominibus ageret, & cum peccatoribus conuersaturum. at melius meo

Dent. 4.

judicio Moses, cum diceret, *Non est alia natio tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Ecce quippe eū inter peccatores, quos recipit, amplectitur, fouet, *quia hic peccatores recipit.*

1. Reg. 22.

In primo Regum volumine legimus, omnes quotquot in Israel doloribus oppressi erant & ære grauati alieno, ad Dauidem velut asylum confugisse, quos ille in tutelam suscepit, & quorum se defensorem protectoremque demonstrauit, *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti,*

*& oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus eorum Princeps.* Erro, erro, non Dauid est, sed Christus Iesus, ad quem velut ad asylum peccatores omnes confugiunt, omnes contriti corde, doloribus exhausti, delictorum penitentia afflicti, & quotquot ære alieno grauati, & summo illi creditori, exactissime debita exigenti, iustitia videlicet diuinæ, obligati, se recipiunt, quos ille sub vmbra alarum suarum proteget, defendet atq; aduersus calumniatores tuebitur, quorumque se Principem declarabit. *Quia hic peccatores recipit.*

Cum diluui aquæ per omnes terræ angulos inundarent, bestiarum omnes ad Arcam Noe velut ad asylum vitæ conseruandæ ergo confugere: ita quoque cum diuina iustitia, sub iræ & furoris sui vndis homines velut diluui quodam, inuolueret, animalia, id est, peccatores ad Christum velut ad veram Noe arcam ad mundi salutem destinatam, animas in tuto collocaturi se recipiunt. Audiamus quid Euangelista dicat, *Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores.* Sed quid? longius me prouectum video quam putaram, & æquo diutius in primo membro immorari, ad aliud dilabamur, videamusque quomodo suam innocentiam testando Pharisæorum petulantiam & virulentiam retundat.

Sciens itaque benigniss. mundi Redemptor Christus, Iudæos scandalizari & detestabilem in partem interpretari, quod peccatorum contubernia ambitet, duob. egregijs parabolis calumniam & murmuratiōnem refutat; prima est de denario vel margarita amissa, & alia de pastore vnam ouiculum ceteris quaritante, quæ ita incipit, *Quis ex vobis homo, &c.* Id est, si quis vestrum centum ouium gregem haberet, vnamque earum amisset, an non nonaginta nouem in deserto relinquet de centesimæ salute sollicitus? quam inuentam mox in humeros sustollit, & in caulam refert, sociosque pastores inuitat, vt sibi de amissa ouicula congratulentur. Ita sc. innocens Iesus inimicos suggillat, eorumque malignitatem coarguit, viuisque ad oculum exemplis demonstrat, integritati victas dare manus calumniam.

Huc

Gen. 7.

Peccatores ad Christum fugiunt.

Duo parabolis refutat Pharisæis Christi.

Par. exp.

*Id. Cal. Ca-*  
*padell. im-*  
*prof.*  
Huc referri queat præclarum illud ethni-  
corum Hieroglyphicū, Pingebant ranam, cui  
ius in ore virga, & ante illam serpens, cui no-  
men Eoydrus: nam quoniam Ægyptus ranis  
abundat. que vt plurimū ab hoc serpente de-  
uorantur, hac arte eludere arte solent; virgā  
semper ore præferūt, quæ loco clypei & vm-  
bonis est: dum enim serpens ranas inuadere  
parat, virgā violenter apprehendit, quæ fau-  
cibus inhærens suffocat inuasorem atque ita  
ab hoste immunes coarant. Egregium pro-  
fecto symbolum & emblema hominis iuce-  
ri & virtute aduersus calumnias iaculaq; ini-  
micorum infracti: denotat virtutem & in-  
nocentiam, quarū figura virga est, homines  
aduersus serpentes, maleficos inquam & ca-  
lumniatores, insuperabiles reddere. Symbo-  
lum porro huic ænigmati scriptum erat, *Vir-*  
*tute, non vi.*

*Tom. 2. del.*  
*improf.*  
Simile quid refert Richard. Brixius, Pingebant  
virtutis imaginem veteres matronæ fe-  
nis instar alarū & ad columnā alligatæ cuius  
ante pedes Hercules stabat. Sed audite hie-  
roglyphicæ expositionē. Denotabat senium,  
virtutem veterascere debere, & ad finem vsq;  
perseuerare, alæ porro designabant famam &  
præconium virtutis: ceterū quod columnæ  
alligata sit, significat, virtutē innocentia suæ  
columnæ affixam, nihil omnino metuerē, &  
hominē natura meticulosissimū licet ac cer-  
uinū, in Herculem cōmutare. Videte n. quā-  
ta constantia, quantaq; animositate respon-  
deat per vulgarem quādam parabolam. *Quis*  
*ex ovis homo, qui habet centum oves.*

*V.*  
*Parabolæ*  
*expositio.*  
Pastor hic ouium & 100. ouium custos, vt  
paucis exponā, Iesus Christus est, qui cū 100.  
oues vna in caula haberet, nouem inq; Ange-  
lorū choros, vnaq; ouicula, Adamū intelligo  
à ceteris sequestrata, in diaboli & harpyiarū  
infernaliū manus incidisset: cælos ipsos  
deseruit, atq; homo factus, in mundi huius  
desertum descendit: vtq; vnā ouem quære-  
ret, primo stabulum Bertheemiticum subiuit:  
atq; vt regem ciuitatē aliquā ingrediētem  
alij mox reges solent inuisere, & mercatorem  
e nudinis vel longinqua aliqua profectioe  
aduenientē mercatores salutariū veniunt: ita  
quoq; pastorē hunc cælestem in terras dela-  
plum, primi salutauere, adiere, & adorauere

pastores, qui super gregem nocturnas excu-  
bias agitabant. Centesima hæc ouicula mihi genus de-  
credite genus humanū est, quod iam inde ab notat hu-  
ipsa paradisi amissione à diuinis præceptis manum.  
deuians, & peccati iter insistens, in summo  
penitus pereundi discrimine versabatur. Vn-  
animis hæc est Prophetarum omnium ex-  
positio. Vnde Isaias imprimis, *Omnes nos qua* *Isai. 53.*  
*si oves errauimus, unusquisque in viam suam de-*  
*clinauit.* Et post hunc Ezechiel, *Errauerūt gre-* *Ezech. 34.*  
*gos mei in cunctis montibus, & in universo colle*  
*excelsi & super omnem faciem terra dispersi sunt*  
*greges mei.* Ante illos & Psalmista, qui se ha-  
rum in ouium numerum censere non dubi-  
tauit, *Errauit sicut ouis qua perit, quare seruum* *Psal. 118.*  
*tuum Domine.*

Et vere, homo hæc deuians ouis est, quam Homo ouis  
vt Deus quæretet, cælo descendit, omnes An- hæc erraus  
gelorū hierarchias dereliquit, & in hac vna est.  
quærenda toto vitæ tempore incubuit, & fu-  
dauit: atq; hoc vnicum esse voluit omnium  
Ecclesiæ ministrorū, Angelorum quoq; cæ-  
lestium, qui ambo ad quærendas errantes o-  
uiculas destinatisunt, officium. Multis autē  
iisque pregnantibus bonus ille pastor ad et-  
ratiū pecorum salutem procurandam, ra-  
tionibus existimatur: primo summi Patris  
gloria: ipsa etenim animarum salus ad Dei  
potissimum gloriam spectat, nō vero earum  
interitus aut exitium. Testatur hoc Psalmo- *Psal. 113.*  
graphus, *Non mortui laudabunt te Domine, neq;*  
*omnes, qui descendunt in infernum.* Secundo,  
quod homo ipsius sit creatura, & opus ma-  
nuum illius. Vnde Iob: *Manus tua fecerunt me* *Iob. 10.*  
*Domine, & plasmaverunt me totum in circuitu:*  
atq; ideo nullam earum intermori vult, at o-  
mnes ad salutem & caulam reuertit.

Egregium ē Ionæ Prophetia conceptū eli- *Ion. 4.*  
ciemus. Cum Deus Niniuitas in gratiam ad-  
mittere decreuisset, & Ionas hoc ferret indi-  
gnus stomachatus nō nihil, obsecrū ei Deus  
emblema proposuit: vidit siquidem hederā  
viore vernantem, cuius radici vermiculus  
inhærebat ita eam dē arrodens, vt quam pri-  
mū exaruerit: cuius infortunū cum Prophe-  
ta doleret, & infelici arboris excidio nō nihil Emblema  
interius commoueretur, Prophetam Deus Ionæ de-  
compellauit, *Tu dolēs super hederā in qua non monstra-*  
*laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub vna cum.*

nocte nata est, & sub una nocte periit: & ego non parcam Niniua ciuitati magna, in qua sunt tot homines & iumenta. Vnde efficere voluit, si arborum & plantarum mors excidiumq; deplorandum est, interitum damnationemq; hominum feruentioribus ac pluribus esse lachrymis deplorandam.

Em. 19.

Tertio animarum salutem Deus fitit & ambit, quod ipse grauitatem acerbitatemq; pœnæ, quam peccatores, ni resipiscant & pœnitentiam agant, haud dubie sustinebunt, solus ad viuum perspectam habeat & comprehendat: quare omni ratione animas creaturasq; ab eadem tueri vult & præseruare. In cuius rei signum cum ciuitatis Ierosolymitanæ excidium præuideret & cladem, fleuit super eam. Vnde inferre licet & argumentari, si tantopere cum affecerint clades, mala exterminia calamitatesque temporales, quas à Romanis infligendas Iudæis sciebat: vt in signum doloris amaritudinisq; lachrymas effuderit: supplicia, tormenta, & cruciatus perennes ac sempiternos impijs præparatos, longe illum amplius permoturos.

2. Reg. 17.

Quarta quæ Deum animarum saluti & bono incumbere cogit, ratio, ipsa est dæmonum superbia & arrogantia, qui graui tyrannide idq; iniuste admodum, in homines obtinere imperium, dominari, suòq; iugo illos subicere gestiunt: hinc Deus omni ratione eisdem succurrere, ac vincula, captiuitates, quibus irenti tenentur, dissoluere, contendit Dauid etiamnum adulescentes & pastores, audita Goliathæ insolentia, quæ Israelitis omnibus insultabat, ignauiamq; exprobrabat: mascula animi constantia & viri audacia, ait, *Quis est hic incircumcisus, qui exprobrat actem & et iuentis?* quibus ille iniurijs lacessitus contumeliosque excitatus, firmiter se cum statuit, in duellum cum earca illa mole descendere, & auxiliatrice Dei manu opem ferente ceruicem insolentem præscindere. Ita quoque affirmo, dæmonum insolentiam arrogantiamque, quam homines persequendo quotidie ostendunt, Deo stimulos subdere & calcaria, vt eosdem liberet, & errantes ouiculas eorum faucibus educat. atque huc Parahola nostra spectat, *Quis ex vobis homo, qui hauri & centum oues.*

Cum vniuersus Israel maximo pauore cõ-  
libit. sternaretur, & quodammodo exalbesceret, audito, eundem Goliath magna Philistæorum multitudinæ stipatum, in aciem descendere, & omnem se eorum posteritatem delaturum: inani: ecce tibi adulescentem quendam: non vsque adeo maturum, facie liberali, & morib. honestis (Dauidem me etiam tacente, fuisse, intelligitis) regem & vniuersos Principes Israel ne timeant exhortantem, hacque sua oratione virtutem, quæ forte in hoc bello vsui esse posset, depradicantem: *ascendat seruus tuus pater sui gregem, & veniebat leo vel vsus, & tollebat arietem, de medio gregis & persequabar eos, & percutebam, & ruebamq; de ore eorum: & illi conurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, inersiciebamque eos.* Efficere volebat Dauid, non esse, quod palleferent, simulque eos animare, & firmam in animis eorum spem excitare conabatur, Goliadam facile prosterni posse, & illo prostrato populum Dei in libertatem vindicandum, & patriam ab inimicis liberandam, quare omnem, si quam conceperant formidinem, deponerent. Idem omnino Christus Dominus hocce in Euangelio spectat: cum enim totus orbis sibi metueret, & timore concuteretur, viso infernale illum Goliadam, Luciferum inquam, omnesque Principes tenebrarum, in nostram necem exitiumque conspirasse, hominibus nil minus expectantibus, generosus ille & verus pastor Iesus se conspicendum exhibet, humanitatis nostræ habitu indutus, & vniuersam Iudæorum nobilitatem metu & pauore consternatam hac oratione recreat, eorumque saluti sub parabolis inuolucris consulit: seruabam ipse, Pharisei & Scribæ, centum in deserto oues, quas meæ curæ & sollicitudini Pater crediderat, & ecce vna ab alijs, infelix videlicet Adamus, distracta est: (relicto quippe obedientiæ & subiectionis, quam ipsi mihi Angeli sponderrant, errabat miser.) & eheu! mox eam diabolus, leo ille infernalis, & rugiens, inuasit, & magna feritate in illam descensit, illius interitum moliebat: equidem pietate motus & misella misertus, vniuersum Angelorum gregem deserui, & leonem illum lacera-  
rurus.

Dauidis coram Saule oratio.

tatus in terram descendi, cuius è faucibus ouiculam eduxi. Ad amum scilicet, & omnem posteritatem illius, humerisq; impositam in caulam reduxi, & obinuentam sororculam cetera mihi congratulatae sunt.

Nota. *Quis ex vobis homo qui habet centum oves?*

Hac parabola denotare tantummodo voluit Dominus, pluris se eorum, quos homines vt peccatores habent, salutem & conuersationem facere, quam ceterorum hominum quos vt iustos mundus suspicit, conuersationem: neque credendum est, hac parabola denotari, vt optime ac doctissime Maldonatus ait, fuisse aliquos vsquequaque iustos, & omnibus iustitiae numeris ita absolutos, vt nullum vnquam delictum admiserint; sed sensum esse, Christum in urbem eorum, qui a iustitiae semita errauerant, & in peccati periculum prolapsi erant, saluandorum ergo venisse. Magna, fateor, interpretes inter contentio est, quinam sint illa nonaginta nouem oves, quae in caula remanentes numquam errauerunt: veteres siquidem crediderunt, Angelos esse bonos: certum enim est omnes creaturas ratione praeditas esse Dei oves, quorum aliae, id est, homines à via declinarunt, aliae vero, id est, Angeli, de iustitiae tramite ne latum quidem vnguem recessere, atque haec mens & sententia est a Irenaei, b Origenis, c Cyrilli Hierosolymitani, d Hilarij, e Ambrosij, f Gregorij, Theophylacti, & aliorum. Attamen certo certius est, simulque asserendum, Dominum non nisi de hominibus hic loqui, nisi absurdissimam illam Origenis opinionem, qua etiam ad Angelos praenaticatores liberandos Christum in mundum venisse credebat, amplecti velimus. Parabola igitur sensus hic est: Deum reuera nonaginta nouem oves quae non errauerant, non reliquisse, quo vniam vagabundam balantemque quaereret: at tantum vel vnus hominis salutem facere, vt, si non nisi centum in mundo homines forent, & horum vnus peccatum admisisset, nonaginta nouem desereret, quo centesimum in viam reduceret: quemadmodum boni & seduli pastores facere consueuerunt; simulque reipia ostendere vult, quod in Mattheo legitur: *Non est autem voluntas ante Patrem*

*vestrum qui in caelis est, et pereat vnus de pusillis istis.*

Ceterum in signem sub huius parabolae cortice mansuetudinem benignitatemque notemus necesse est, vt nimirum Dominus, tanta semper humanitate, tantaque modestia, generationi huic pessimae, omnium suorum operum Aristarcho & calumniatrici, respondeat; adeo vt nec graue nec insolens existimet, plenam ei omnium actionum & Benignitas totius vitae rationem reddere. Carpebant si- Christi in quidem & obiciebant, quod sabbata viola- responden- ret, diesque diuino cultui destinatos agro- do. rum sanatione profanaret, quam à se culpam propulsans, mox rationem facti sui subnectit, interrogando, num liceret, in die festo opus pium edere? num fas foret alium in foueam delapsum sabbato, educere? quibus interrogationibus ostendere volebat, multo esse aequius congruentiusque, agris sanitatem & membrorum usum reddere. Hodie vero cum vitio ei vertitur, quod peccatorum familiaritatem affecit, subinfert: non esse mirum, si cum iis, qui instar ouium à Patris sui grege sequestrati errant, & in tyrannicam diaboli seruitutem prolapsi sunt, agat familiarius, cum sibi propositum sit, eos ab infernali tyrannide vindicatos in libertatem asserere: si enim pastor vnicae quaesitus ouiculam, integrum deserit gregem, maiora se haud dubie ratione in vnus salutem animae, animae inquam, omnium pretiosissimae, posse incumbere?

Balena, referente Plinio, cum hostem habeat capitalissimum, pisciculum nimirum, qui stus. vbius ei locorum insidiatur; quiq; dum parat inuadere, foetorem terribilissimum emittit: vt se ab hoste tueatur, & antipharmaco venenum curet, odorè imo corpore sua visum exhalare consuevit, quo, tetram illam mephitim, qua pisciculus ille aquam infecit, dissipet atq; extinguat: ceterum dulcis ille odor ab ambra cinerea, quae circa belluae illius ventrem crescit, procedere traditur. Simile quid parabola praedicta mihi continere videtur, cernite enim vt sceleratus ille piscis, populus, inquam, Iudaicus, Christi Balenae in mundi huius mari euagantis hostis iuratus sumus, hodie fumos illos & tetros ac virulentos

inuidia, calumnia, maledicentia aduersus Christum odores ei aculetur, utque Christus regia illa balena, quo illos dissipet, in sui defensionem purgationemque, modeste responsionis & benignitatis odoramenta emittat, ut omnem in admirationem sui synagogam concitet.

At mirari vos crediderim Auditores, cum a quo proxiorem in hac materia exponenda videatis: Hinc etenim ipsa detractio, illinc vero insignis illa parabola nec opinantem me extra limites & temporis & decori abriperunt. Sed iam tempus est intra lineam redeundi & respirandi non nihil, sinemque imponendi. Fugite igitur detestandam hanc maledicendi & detrahendi consuetudinem, nolite de proximo male loqui, neve vnquam a tyrannico hoc rancore vos seduci sinite: imprimis autem caute ne murmuretis: ac simul etiam infinitam Dei bonitatem benignitatemque attendite, qui tanto amore peccatores amplectitur, eorumque societate delectatur, quin & vltro ambit. Et sane nihil in mundo reperietis, quod peccatorem, vnico Deo excepto, quatenus peccando offendit, & in quibus delicta admittit, recipiat. An non enim celsa, terra, elementa, omnesque creatura in peccatore insurgunt, & armatae sunt? Vnde Sapiens: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatum*; quin & melius aliquid in loco: *Creatura vniuersa tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustus*. Interea tamen summus ille vniuersi Monarcha, creaturas compefcit, ne in peccatorem insurgant: & peccatoris partes defendendas suscipiant. Atque hoc nomine infinitas. Propheta quidem gratias agit, quod liberatus sit, & conseruatus. *Miserere cordi meo, quod non uniuersum consumptum*.

Scelestus ille fratricida Cain, cum delicti grauitatem enormitatemque agnosceret, atque hoc nomine se a facie Dei reiectum carere, lachrymans ac gemens dicebat: *Ecce proiecit me a facie tua, omni te qui inuenit me, occidet me*: nusquam ille se tutum viuere credit, cum solis illius splendentis visu & conspectu priuatus sit. Nullum igitur peccatori asylum, nullum locorum aut per fugij praesidium, nisi in solo Deo: ille vmbra, clypeus, refugium, & tectum. Quod cum re ipsa Augustinus exper-

tus esset, quasi gratias agens ait: *Ego in offensus debam, & tu me defendebas*. O benignitatem immensam, misericordiam incredibilem! Totus, orbis, terrarum orbis & omnibus in locis, peccatorem velut criminis reum ad diuinam Maiestatis tribunal pertrahere cupit, eique actionem intentare; sed Deus e contra eundem abscondit ac protegit: *abscondit in absconditis faciet tua, & cetera ratione hominum*. Dicant igitur magna confidentia peccatores, *Deus resursum nostrum, & iustus, adiutor in tribulationibus, ne inueniat nos nimis*.

Tu vero benignissime & clementissime Domine, vnicum praesidium, tutela ac confugium peccatorum es: quos si sub vmbra alarum tuarum non admitteres, si ab iniuria insidiantium non defenderes, mundos eos ex iustitia ad necem pertraheret. Hinc hodie ad te recurrunt, & tu vicissim eos tanta benignitate recipis & complecteris, ut synagoga Iudaeorum non parum obtupeleat murmurans, & honorem tuum laeueras, at non est quod miremur. Mirumne est, ait Chrysostomus, peccatores ad te confugere; cum in te reperiant, quidquid opus habent, si enim mortui sunt, tu illorum vita: si errent, tu via: si defatigati fatiscant, tu requies & refectio: si carcant, tu lumen & fax. Quin & Mediolanensis columbae Ambrosius, omnes adeo mortales inuitat, ut ad te in necessitatibus confugiant, in te siquidem omnia remedium genera reperire cives enim agrifim? tu medicus; si febris astringamus, tu sors & refrigeratio, si auxilio indigeamus & opere, tu potentia & virtus; si mortem horrescimus, tu nobis vita: si ad caelum pertingere contendimus, tu lumen & solis iubar. Nos igitur omnes, qui e peccatorum numero sumus, hodie ad te recurrimus; te in asylum coopramus, tibi veluti medico, plagas nostras detegimus, & agritudinem patefacimus. Noli igitur Domine nos repellere, sed benigne nos admittite, benignum te nobis ac clementem ostende, peccatis admittis indulge, & concede ut tandem aliquando ad aeternam pertingere beatitudinem mereamur, cuius nos copotes reddant Pater & Filius & Spiritus sanctus, AMEN.

DOMI.

Omnes  
creatura  
peccatori  
aduersan-  
tur.

Cap. 5.  
Cap. 16.

Thren. 3.

Gen. 4.

Lib. de Sin-  
gim.